UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 37. Joannis de Horosca Gaudiciani Episcopi fatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67222

Visual Library

Sæc. XVII.
A. C. 1608.

§. XXXVII.

Joannis de Horoſca Gaudiciani Epiſcopi fatum.

Ex Hiſpanis Epiſcopis hoc quoque anno deceſſit Joannes de Horoſca & Covarrubias Toletanus Theologiæ Doctor, Segovienſis Canonicus, Guellariæ Archidiaconus, ac demum Agrigentinenſis Epiſcopus. Hic typographiam in ſua Epiſcopali Sede erexerat, cum autem ſibi exin quorumdam invidiam accerſeret, ab eis inſimulatus, quod in quibusdam Scriptis ibidem impreſſis famam quorumdam Eccleſiaſticorum ac ſæcularium proſcidiſſet, Romam comparere jubetur, ubi tamen detectis accuſatorum calumniis non modo ejus innocentia vindicata eſt, ſed ipſe inſuper obtenta Pontificis, Regisque Catholici Licentia, ne ultra in Siciliam reverti cogeretur, in Hiſpania anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinto Gaudicianum Epiſcopatum conſequebatur, ubi etiam tranquille vitam finivit, relictis poſteritati variis ingenii ſui monumentis, inter quæ ſunt præcipua ejus *Emblemata moralia*, tractatus *de vera & ſalſa Prophetia, Paradoxa Chriſtiana contra falſas opiniones Mundi, Solatium afflictorum, & Doctrina Principum* &c.